

487.

DISSERTATIO INAUGVRALIS MEDICA  
DE  
**PROCIDENTIA**  
**VTERI**

QVAM  
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO  
D O M I N O

**GVILIELMO HENRICO**

DVCE SAXONIAE IVLIACI CLIVIAE MONTIVM ANGARIAE  
WESTPHALIAE ET RELIQA

PRAESIDE

**SIMONE PAVLO HILSCHERO**

MEDICINAE DOCTORE ET THEORET. PROFES-  
SORE PVBLICO ORDINARIO

PRAECEPTORE ET PATRONO OMNI

PIETATIS CVLTV PROSEQVENDO

**PRO GRADV DOCTORALI**

EIQVE ANNEXIS HONORIBVS IVRIBVS ET PRIVILEGIIS  
IN ARTE MEDICA

LEGITIME MORE MAIORVM CONSEQVENDIS

PVBLICO ET BENEVOLO ERVDITORVM

EXAMINI SVBMITTIT

**IOANNES IACOBVS KARGES**

SVIDNICENSIS SILESIVS.

IN AVDITORIO MEDICO

AD D. SEPTEMBRIS M DCCXXX.

IENAE LITTERIS MVLLERIANIS,

Chirurg.

269,4

le Uteri pro

DISERTATIO IN ANATOMIA MEDICA

PROLOGUS

VITAE

LECTORE MAGNIFICENTISSIMO  
SERENISSIMO PRINCIPIS AC DOMINI

GUILIELMO HENRICO

DEI ELECTORIS PALATINI RHEGNI  
VIRI DOCTI ET BELLI

SIMONE PAULUSCHERO

MEDICINAE DOCTORE  
SOCIETATIS REGIAE

FRACENTORUM ET BARONIS OMNI

PRO GREGORIO DOCTORALI

IN ANATOMIA MEDICA

LECTIONE QUAE HABITA ERIT  
IN THEATRO ANATOMICO

IOHANNES JACOBUS KAVGES

LECTIONIS HUIUS  
PRAEFATIO

IN ANATOMIA MEDICA

DE ANATOMIA



Q. D. B. V.

§. I.



Teri procidentia, graece *πρόπτωσης*  
*της υστερας*, est situs ejusdem muta-  
 tus praeternaturalis, deorsum fa-  
 ctus, vel in vaginam tantum, vel ex-  
 tra pudenda plane, ab uteri & retina-  
 culorum eius vel laxitate, vel ruptura  
 dependens. Germanis audit vel sim-  
 pliciter ein Fürfall; melius ein Mut-  
 ter-Fürfall oder Ausfall der Gebähr-Mutter.

§. II.

Satis igitur apparet affectum nostrum ad morbos ma-  
 lae conformationis, qui figura siue forma, numero, magni-  
 tudine, & positura vitiatis, absoluuntur, referri debere.  
 In specie vero auget classem morborum horum ultimam,  
 positura scilicet vitiosa, ad quam situs mutatus praeterna-  
 turalis quoque spectat, delinquentium. Etenim utero in  
 foeminis, iisque grauidis etiam, exceptis tamen aliquo mo-  
 do tempori partus proximis, vel ex eodem laborantibus,  
 satis alta in pelui destinata est a natura sedes. Ast in iis,  
 quae procidentiam uteri morbosam patiuntur, etiam extra  
 dicta tempora marsupium hoc carnosum profunde in va-  
 ginam

ginam demissum obseruatur, ita vt digitis palpari queat, vel plane extra pudenda prolapsum oculis manifeste se praebeat conspiciendum. Atque his rite pensitatis facile quoque erit herniam vterinam, proprie dictam, ab vteri pro- cidentia discernere posse. Ista enim est, quando vterus, integumentis communibus adhuc tectus hinc inde, v. g. in inguine dextro vel sinistro, circa umbilicum, aut in pu- bis regione valde inaequaliter protuberat. Haec vero, quando vterus nudus propendet. Sic admodum notabile herniae vterinae grauidae ad inguen propendentis exem- plum recenset SENNERTVS *Instit. Lib. II. part. I. cap. IX.* de vitoris Wittebergensis vxore, quae talem ad perfectam foetus maturitatem & partum caesareum, feliciter pera- ctum, vsque gestauit.

## §. III.

De industria vero procidentiam vteri, situm eiusdem praeternaturalem in definitione appellauimus: cum non omnis & aliqualis situs vteri mutatio deorsum facta, sicut iam inuimus, mox praeternaturalis dicenda veniat. Nam fere in omnibus grauidis vltimo mense constitutis, & ma- xime proxime ante partum, & in eodem, descensus vteri naturalis quidam datur; id quod prudentiorum obstetri- cum oculi manusque, ceu quae frequentius circa tales foeminas versantur, clarissime testantur. Labet tamen totum hoc de descensu vteri naturali negotium B. IO. A- DRIANI SLEVOGTII NOSTRI, qui inter alia propter accu- ratam morborum muliebrium & artis obstetriciae notitiam, egregiam nominis sui gloriam reliquit, elegantibus edisse- rere verbis. Etenim in *Dissert. de Lapsu vaginae vteri §. 3.* scribit: *Descensus vteri naturalis occurrit in omnibus fere gravi- dis; sed obscurius in vna, quam in altera. Vnde vitimis men- sibus nonnullae earum ( tunc & postmodum omnis prolapsus vagi- nae vterique morbofi expertes ) de pondere intus genitalibus im- minente, als wenn alles unten hinauß fallen wolte, conque- rantur,*

runtur, frequentiusque, ob compressam vesicam, mingere coguntur: aliae vero, difficulter aluum deponentes, dicant: die Frucht sihet hart auf den Mast-Darm. §. vero 4. pergit: In partu magis adhuc & manifestius demittitur uterus, ut osculum eius ad orificium vaginae propius accedat, hancque ex longo plicatili canali in amplum circulum, transituro embryoni respondentem, distendendo, omnibus suis rugis (& inde a Barbette Prax. cap. VIII. atque Ronhuysio p 86. Lib. II. perperam derivato motu quodam peristaltico, foetum exeuntem insigniter juuante) spoliet. Capiunt autem obstetrices ex hoc descensu νεγρήειον instantis partus, wenn sich der Leib gesencket hat, it. wenn die Frucht eingetreten ist: & contra ea gravidis, ex doloribus ventris terminum enixus adesse concludentibus, in quibus uterum in alto adhuc repositum offendunt, wenn die Frucht noch hoch stehet, intempestuos conatus serio dissuadent.

## §. IV.

Quemadmodum vero huc vsque expositus descensus uteri naturalis, in gravidis & puerperis praesens, non procidentia, sed saltem levis descensio est, eine gelinde natürliche Mutter-*Senckung*: ita eadem mox post partum vel sua sponte cessat, quatenus fibrae uteri elasticae, hactenus a mole foetus & secundinarum extensae, sese iterum contrahunt; vel ascensus ipsius simul a prudentum obstetricum manibus adiuuatur, dum eundem, foetu secundinisque vacuum, mox prouide sursum adigunt, & ne facile descendat, puerperas, cruribus nonnihil eleuatis atque contractis, se quietas in lecto continere praecipiunt. Quapropter etiam nihil amplius circa hanc uteri descensionem naturalem monemus, sed hoc saltem indigitamus, quod nobis animus sit primario, de procidentia uteri ipsius quoad corpus suum, non vero de vaginae, in dissertatione hac agendi: sicut etiam titulus ipsius clare docet. Nihilominus & procidentiae vaginae uteri nobis quoque subinde mentio in-

jicienda erit, ad differentiam nempe utriusque affectus eo melius exhibendam.

## §. V.

Quod *Subiectum* affectus nostri *uniuersale* attinet, hoc ipsum constituent foeminae. Has enim sapientissimus creator utero donauit, quo grauidae factae embryoni per eundem non solum debitam alimoniam concedere queant, sed & ipse uterus nascendo homini commodum, usque ad tempus partus, praebet domicilium. Licet uero procidentia uteri admodum frequenter in partu, & post eundem contingat, adeoque praeter reliquis foeminis puerperas corripere soleat: attamen & aliae ab hac labe non sunt immunes. Etenim experientia testatur, quod hoc malum etiam extra puerperium, tam a causis internis, quam externis productum, contaminet conjugatas, uiduas, iuuenes, annosas, nec non illibatae pudicitiae uirgines quandoque, licet has utique satis raro.

## §. VI.

*Subiectum* uero *speciale*, seu ut quo, sicut unusquisque cognoscere potest, est ipse uterus, cum suis retinaculis, h. e. peritoneo atque ligamentis κατ' ἐξοχήν dictis. Ille enim reuera prolabi & extra pudenda prominere solet in procidentia perfecta: retinacula uero frequentissime praebent *subiectum* causae immediatae; licet etiam haec in utero ipso quandoque haereat. Inter omnes uero rei anatomicae peritos satis constat, esse uterum corpus istud pyriforme, depressum atque cauum, substantiae crassae, duos fere transuersos digitos aequantis, musculosae, vasculosae ac membranosae, in pelui intra uesicam urinariam atque intestinum rectum situm. Atque hocce corpus a fibris carnosissimis longitudinalibus, transuersalibus ac decussatim procedentibus, tam mirifice fabrefactum est, ut, cum extra tempus mensium fluxus & impraegnationis, firmum & compactum sit, cauitasque ejus, si nulla facta fuerit conceptio, & foetus in eadem

dem

dem haeserit, tam angusta sit, ut vix amygdalo majorem fructum capiat; his tamen euenientibus ab elastico seminis masculi spiritu substantia eius ita rara laxaque fiat, ut non solum magnam sanguinis molem in flexuosa sua vasa ac tubulos recipiat, sed & simul ipsa cavitas ita successive expandatur, quo ad tempus partus usque grandiscenti foetui, vna cum secundinis & liquore amnii, commodum largiatur hospitium. Nullo modo vero temporaria haec noui hominis domuncula libera plane in pelui fluctuat, sed, excepto ipsius fundo, sursum spectante, qui liber est, nec cuiquam parti connectitur, a lateribus per ligamenta lata, alas vesperilionum dicta, & a peritonæo duplicato producta, quodammodo osibus ilii; per ligamenta vero rotunda, inter peritonæi duplicaturam versus inguina ascendente, simul osibus pubis, interuenientibus variis fibrillis, alligatur. Non minus inferior ac angustior vteri pars, cervix dicta, mediante peritonæo, a facie antica vesicæ vrinariae pubisque osibus, a postica vero intestino recto & osi sacro connectitur, simulque hic loci a lateribus laxè cum peritonæo coniuncta est.

## §. VII.

Atque paulo firmior haec vteri, quoad latera & cervicem cum osibus ilii, sacro ac pubis, notata connexio, viros etiam celeberrimos quosdam olim permouit, ut procidentiam vteri ipsius vix possibilem iudicarent, quidam vero eandem pertinaciter plane negare ausi sint, & id, quod prolapsum extra pudenda obseruarunt, saltem pro portione tunicae rugosae ac laxatae vaginae habuerint. Verum huic errori ansam dedere partim, & potissimum quidem, defectus occasionis, veras vteri procidentias propria experientia annotandi, oculisque videndi ac manibus palpandi, partim aliorum hallucinationes, circa dignoscendam vaginae aliarumque excrescentiarum procidentiam a vero vteri lapsu commissae; & longe maior frequentia prolapsus vaginae, quam

quam ergastuli vterini. Sic aliquando excrescentiae vaginae carnosae extra pudendorum labia propendentes, vterum prolapsum mentiri solent, cum tamen post apertionem cadauerum, hoc malo defunctorum, ipse vterus bene constitutus in suo loco fuerit repertus. In cuius rei fidem admodum notabilis historia consignata legitur apud BARTHOLINVM *Cent. 2. obseruat. 58.* sub titulo: *Excrescentia vteri prolapsum mentiens.* Perperam igitur a falsa tali procidentia, seu potius excrescentia, vel sarcomate vaginae propendente, ad negationem plenariam veri vteri lapsus existentiae asserendam quidam fuere quoque permoti. Verum enim vero omnium dubitationis nebula de verae vteri procidentiae existentia hodie est discussa, postquam nempe eadem plus simpliciter vice a viris fide dignissimis, rerumque anatomicarum maxime gnaris, praesertim WEDELIO, VOLCKAMERO, PECHLINO, PEYERO, SCHELHAMMERO, SLEVOGTIO, RVYSCHIO, longeque pluribus, fuit annotata, & hinc inde in scriptis suis descripta cum variis vterorum prolapsorum iconibus a quibusdam. Retulit etiam mihi Dn. D. PRAESES, se bis ipsum vterum, non gravidum, cum orificio suo extra pudendorum labia propendentem vidisse, totidemque vicibus gravidum, atque ex horum alterutro, in textoris vxore foetum mortuum forcipe per orificium vterinum extraxisse. PARRAEVS vero, egregius iste Regis Galliarum chirurgus, *Oper. Lib. 23. c. 41.* ceu ocularis testis testatur, quod foeminae cuidam Parisiensi vterus prolapsus & sphacelo corruptus fuerit abscissus, post mortem vero in dissecto cadauere idem quaesitus nusquam comparuerit. Quale quid sua etiam experientia confirmat PEYERVS, *Ephem. German. Dec. II. ann. I. obseruat. 84.* Ut non plures Autores, qui idem obseruauerunt, hoc loco laudemus.

§. VIII.

Quo autem eo felicius in pertractatione nostra progredi, & procidentiae vteri signa, symptomata, causas, pro-



prognosin & curam accurate exponere queamus, differentiae, seu variae species procidentiarum harum praemittendae ac hoc loco recensendae sunt. Sic procidentia alia dicitur & est *vera*; quando scilicet vel vagina vel uterus ipse quoad propriam substantiam sunt demissa nimis, vel plane extra pudendorum labia prominent; alia *spuria*, quando sarcomata, seu excrescentiae diversae substantiae, vel in vagina, vel ipsa matrice, radices suas habentes, procidentias harum partium mentiuntur, ac rerum anatomicarum & medicarum non satis gnaris ita imponunt: Sicut contigit cuidam chirurgo Nosodochii Patauini, cuius meminit BARTHOLINVS in observ. supra a nobis allegata. Porro alia procidentia est *vaginae solius*, ein Vorfall der Mutter, Scheide; alia *ipsius uteri*; alia *huius cum vagina simul*. Alia procidentia uteri est *perfecta*, externa, s. completa, quando nempe uterus ultra limites pudendorum prominet; alia vero *imperfecta* s. incompleta, quando idem valde quidem e sede sua naturali descendit, ultra pudendorum vero labia minus propendet, sed in anterioribus vaginae adhuc haeret, quae species Germanis dici solet ein innerlicher Mutter-Vorfall, oder eine allzustarcke Mutterseuckung. Alia non minus procidentia uteri est *quoad totum*, alia saltem *quoad partem*; Alia est *uteri sibi relictæ*, i. e. magnitudinem, figuram & plerasque qualitates naturales retinentis; alia vero *vitiosi valde*, nempe vel maioris, vel deformis ac scirrhosi; qualem observavit ac depictum exhibuit celeberrimus RVYSCHIVS, *Observat. Anatomico-Chirurg. VII. p. 13.* Alia uteri cum annexis & simul propendentibus sarcomatibus vel excrescentiis polyposis ex orificio suo interno, qualem malignam e fluore albo immani ortam, cum dolore & profusione copiosa humoris aquosi & acris breui lethalem descripsit idem elegantissimus scriptor *Observat. VI. p. 12.* adeoque alia procidentia etiam *uteri ulcerosi*, alia *minus talis*, & hinc vel *benigna* comparate, vel *maligna*. Alia est uteri non *gravidæ*, alia

B

vero

vero foetu grauis. Alia est *citra ipsius inversionem*, alia vero *cum inversione*, ita vt superficies eius interna orificium vteri transeat, & extra hoc, simulque pudendorum labia, promineat: quae etiam simpliciter inversio vteri dicitur, & comparate longe frequentius in ipso partu, vel breui post eundem, contingere potest ac solet, quam alio tempore. Atque talem a nobis laudatus RVYSCHIVS *observat. X. p. 16.* egregie descripsit, simulque figuram eiusmodi vteri inversi ac prolapsi aeri nitidissime incisam exhibuit p. 17. Annotatus tamen quoque fuit prolapsus vteri inuersi, qui nec in partu, nec breui post eundem contigit, sed ab excrefcentia carneo-fungosa, in fundo eius interno ex potu infusi crepitus lupi enata, productus, ab *Excell. HENRICO von SANDEN*, Professore Regiomontano: sicut casum hunc mirabilem in schediafmate peculiari cum orbe erudito communicavit. Alia procidentia etiam est *cum portione prolapsa vesicae urinae*, vel cum eadem integra contingens. Cuius admodum memorabile exemplum praeter PEYERVM l. c. refert RVYSCHIVS l. c. *observat. I. p. 1.* de foemina quadam octogenaria, in qua vterus totus fuit prolapsus cum aliqua vesicae portione, ex qua vna cum vtero inciso calculi quadraginta & duo, partim instrumentis, partim solis digitis, extracti fuere. Circa hunc vero casum maxime notabile fuit, quod moles e corpore propendens & nil praeter vterum mentiens, ob calculorum magnitudinem & numerum, nullam inaequalitatem nec aliam formam fuerit adeptus: superficies enim admodum fuit aequalis, & figura vteri naturalis. Digna sane haec observatio est, quae apud Autorem ipsum legatur. Alia denique ratione temporis vteri procidentia est *recens*, alia *inueterata*; qualis maxime fuit in foemina dicta, ceu quae a 20. annis vteri lapsum iam ante operationem fuit perpeffa. Alia subito *exorta*, alia sensim *enata*.

## §. IX.

Post allatas matricis procidentiae differentias, diagno-

gno-

gnosis ipsius exponenda est. Equidem eadem admodum saepe patescit medico e relatione ipsarum aegrotantium, vel sibi familiarium, aut earum maritorum vel obstetricum; ast non sufficienter saepe: cum ut plurimum exponere solum sciunt, corpus quoddam graue in vagina haerere, quod eam obstruat ac distendat, vel idem plane extra pudendorum labia prominere; Istud vero exacte describere, ac quid proprie sit, definire nequeant. Ideo, nisi obstetrices vel mulieres clinicae, diagnosin harum rerum satis doctae, labem praesentem medicis rite enunciare valeant: hi ipsi istud, quod demissum vel prolapsum est, visu & tactu explorare; aegrotantes vero foeminae, intempestivo pudore ad breve tempus deposito, explorationi huic se minus subtrahere debent. Patet vero vaginae procidentia e tumore comparate molliori & laxiori extra pudenda prominente, & ipsius vaginae substantiam referente, citra ullum verum orificium conspicendum. Ipsum contra vteri, nec inversi nec gravidi, corpus, exhibet tumorem carnosum, paulo duriores, figuram uteri suo modo exprimentem, in cuius extremo ipsum orificium eius clare visui occurrit. Non minus procidentiae tum vaginae tum vteri sunt tumores mobiles, ac in decumbentibus, cruribus imprimis eleuatis, vel sua sponte sursum cedunt, vel, levi negotio saepe, in altum reponi possunt, si fuerint recentes, nec magni, nec indurati: in mutantibus vero situm supinum in erectum promte iterum se demittunt ac prolabuntur. Quando vero vterus ipse cum vagina provolutus est, tunc intra hanc tanquam nucleus in cortice rugoso latet, ut a PEYERO l. c. descriptus, a SCHELHAMMERO vero *Ephem. German. Dec. 2. ann. 9. observ. 149.* depictus cernitur. (vid. supra laudata B. Slevogtii dissertatio §. 17.) Vterus vero in partu aut mox post eundem inversus & prolapsus cognoscitur e corpore magno & quodammodo inaequali seu rugoso, saccum cru-

entum & sanguinem plorantem exhibente, ac ultra vulvaram propendente, citra vltimum orificium conspicuum. Quemadmodum vero facile est personis, quae vaginae & vteri, huiusque etiam gravidi, figurae ac texturae cognitionem Anatomicam habent, procidentias hasce dignoscere; ita eadem, si simul sufficienti semiotices notitia tinctae fuerint, excrescentias fungosas, aliasque, vel in matrice, vel eius vagina radicas, diligenti facta exploratione & consideratione substantiae texturae, a veris procidentis discernere poterunt. Idem etiam dicendum est de prolapsu vteri inuersi cum excrescentia carneo-fungosa; aut quando ille cum vesica, vel quoad partem, vel totum, procidit, aut haec prolapsa simul paucioribus pluribusue calculis referta est. Quo posteriori casu difficultas & cruciatibus vehementibus, sicut testatur RVVSCHIVS *l. c. Obs. I.* adeoque coniuncta sunt signa calculi vesicae. Facile etiam erit, rerum medicarum peritis ex oculari inspectione corporis prolapsi, & consideratione symptomatum praesentium, procidentias matricum scirrhorarum, extus vel intus exulceratarum, inflammatarum, aut plane sphacelatarum agnoscere, ac a se inuicem distinguere: vt ideo harum differentiarum signa pluribus huc apponere minus necessariam iudicemus: cum breuitatis studiosi esse debeamus.

## §. X.

Quemadmodum vero huc usque proposita diagnosis quam optime inspectione oculari & tactu fit: ita nunc etiam recensenda sunt symptomata, de quibus vteri procidentia affectae mulieres potissimum conqueri solent. Ordinaria vero symptomata sunt tensio pudendorum, & maxime sensus ponderis deorsum vergentis, ob nisum viscerum abdominis deorsum factum, si grauius fit malum, vt hinc quasdam ita affectas foeminas dicentes audias: Es wäre ihnen nicht anders, als wenn ihnen alles oder etwas aus dem Leibe

Leibe

Leibe fallen wolte. Occurrunt etiam molestia maior vel minor inter ambulandum, nec non dolores tensiui lumborum, femorum, regionisque hypogastricae ac pubis, pro laesionis ratione, vel leuiiores vel paulo grauiiores, a tensione fibrarum peritonaei & ligamentorum vteri deriuandi. Non minus aegrotas nostras diuexat saepe vrinae & alui difficultas: cum vterus in vaginae cauitatem demissus, intrat cunei inter haec duo excrementorum receptacula haerens, ea comprimatur. Et licet idem in supinum obtinentibus situm multum ac facile retrocedere soleat: attamen opus coniugale praestantibus maritis aliquali impedimento est. Quibusdam etiam ex hoc malo laborantibus foeminis, & maxime iis, quae genus membranosum ac neruosum debile & admodum sensibile habent, tormina & symptomata hysterica sunt familiaria: cum vterus hac ratione, & praesertim occasione frigoris irritatus, facile peritonaeum & cum hoc copulata viscera in consensum trahat. Matricem in partu aut breui post eundem prolapsam, nec admodum tempestiue repositam, facile sequi solent ipsius inflammatio, dolor insignis & sphacelus cum febre acuta. Vteros vero prolapsos & vlcerebus plus minus malignis affectos, cum vel sine excrescentiis fungosis, nec non scirrhuso-cancrosis, aut plane gangraenosis, dolores etiam magis vel minus acerbi, & interdum intolerabiles plane, comitari solent, cum vigiliis, appetitu prostrato, macie, & quandoque febre hectica manifesta.

## §. XI.

Diagnosi procidentiarum vteri quoad essentiam & accidentia sua, subnectenda venit prognosis. Variat autem haec, pro duratione atque diuersa huius mali natura, valdopere. Sic si recens ac simplex sit prolapsus, & maxime imperfectus, facile sui curationem admittit, nisi nimia tensio, aut ruptura, adsit. Sin vero valde differatur & negligatur restitutio, malum aut nunquam, aut palliative tantum, curatur. In specie aer

frigidior improvide admissus prolapsae matrici valde infensus est: cum, vasa vteri minora comprimendo & coarctando, facile inflammationem inferat. Atque haec eo promptius oritur, si humores iam dum acriores existant, ut hinc ipse sphacelus aliquando promte succedat, & vteri extirpatione plane opus sit. Maxime etiam curatu difficilis est hic affectus, & vix ex toto, in foeminis intemperie humida laborantibus, atque in iis, quae cacochymia scorbutica & fluore albo grauiori ac inueterato sunt affectae. Multae tamen foeminae perferunt hunc affectum ad multos annos citra vitae periculum, si modo non valde cacochymicae sint, & probe matricem a sordibus repurgent & a frigore defendant. Imo curam palliativam per conuenientia retinacula sustinentes saepe citra maiore molestiam vitam trahunt. Sin autem vterus prolapsus iam scirrhusus sit, vel excrescentiae mali moris ex eodem propendeant, aut malo ulcere obsessus, vel plane gangraenosus sit, tunc minus laeta praedicere licet: sed circa casus posteriores allaborandum potius est, ut tempestiua matricis extirpatione vitam aegrotarum seruare possimus, reliquo corporis statu consentiente. Admodum periculosa quoque solet esse procidentia vteri cum inuersione in partu & post eundem, nisi a peritis mox dignoscatur, & lege artis inuertatur ac reponatur. *Tantus enim verbis saepius laudati RVYSCHII Obs. Chirurg. X. p. 16. ut plurimum sanguinis est affluxus ad vterum propendentem, ut statim inflammetur, induretur, & propter impeditam sanguinis circulationem gangrenam concipiat; Illa vero facile impeditur, cum orificium vteri internum sese contrahens molem prolapsam circulariter comprimat. Faciunt etiam ad prognosin rite formandam egregie ea, quae laudatus Autor eadem pagina Observat. 9. profert: Verum enim vero, scribit, vterum (prolapsum) haud semper posse restitui, si extra partum diu e corpore prociderit; nec semper opportunum esse, illud moliri,*

ri,

ri, norunt periti; qui antequam hoc suscipiant, semper uteri prolapsi constitutionem diuersam inuestigabunt; si enim a longo tempore prolapsus tantus sit factus, vt facili negotio in pristinum locum redigi haud possit, aut patiens uterum a longo tempore extra corpus gesserit, vel uterus prolapsus induruerit, cum inaequali superficie, aut ulcere obsessus fuerit, periculum haud faciendum; reposito enim utero pessime sese habere solent aegrae. Vnice igitur felix ac plenaria huius affectus cura posita est in possibilitate debite uterum prolapsum reponendi, simulque fibras laxatas ita roborandi, vt partem hanc in sede sua naturali retinere possint.

## §. XII.

Post affectus nostri diagnosin & prognosin, eiusdem causas rimari fas est. Est vero causa ipsius immediata siue proxima uteri & retinaculorum eius laxitas vel ruptura, sicut in definitione iam indigitauimus, & quidem frequentius illa, quam perfecta ruptura. Quod uterum ipsum attinet, hic maxime latus deprehenditur tum quoad corpus, tum quoad orificium suum, in partu & mox post eundem, quatenus fibrae ipsius tempore grauiditatis a mole foetus & secundinarum valde fuere distentae & hinc laxatae. Si igitur uterus, antequam fibrae ipsius se post partum sufficienter contraxerint, debitum robur acquisierint, & quasi in semet ipsas abierint, vim paulo fortio-rem vel ab intra vel extra experiatur, v. g. a nisu expulsiuo ac vehementiori lochiorum, tractione rudiori funiculi vmbilicalis pro separatione placentae, aliisque occasionibus, facile fundus latus inuertitur, & per orificium vterinum, non minus latus & hians, transit, adeoque nascitur periculosus iste affectus, qui matricis procidentia cum inuersione dicitur. Solent vero aliquando, licet rarissime, fibrae fundi & corporis vterini ab excrescentiis, in uteri cavitatie uteri humida, ita quoque laxati & deorsum tendi, vt  
per

per orificium internum apertum ac laxatum ipse fundus transeat, prolabatur & inuersionem extra partum producat, sicut ex obseruatione Cl. von SANDEN, quam supra laudauimus, cognoscere licet. Quemadmodum vero matricis procidentia cum inuersione longe rarior est, quam vteri non inuerfi: ita etiam frequentius accusanda venit laxitas vel ruptura retinaculorum vteri, quam proprie substantiae. E supra vero allatis sufficienter patet, quod retinacula vteri constituent peritoneum, cum ligamentis proprie dictis. Haec enim coniunctim vterum cum osibus aliisque partibus firmiter connectunt ac stabilem reddunt, ne facile prolabi queat; multumque in specie praestat peritoneum, tanquam commune viscerum infimi ventris retinaculum. Tanti tamen roboris haec retinacula non sunt, quin ab interpositis particulis serosis ita laxari queant ac soleant, ut deinceps, accedente varia tensione nisuque, admodum sequaces fiant, & vterum, quem continere debebant, descendere & foras prolabi permittant. Maxime vero hoc negotium illustrat humectatio corii, ceu analogiam quandam cum fibris membranarum corporis nostri habentis: illud enim humectatum mirifice quaque versum extendi potest. Dum vero retinaculorum vteri dictorum saepe admodum violenta extensio fit, etiam quaedam fibrae horum simul saepe rumpuntur, vel plures vel pauciores. Aliquando tamen tam vehemens vnius alteriusue retinaculi vterini extensio fit, ut ipsum statim rumpatur, & suae rupturae indicium crepatura praebet, cum vteri prolapsu mox sequente. Atque hoc in primis factum esse compertum est, quando foeminae, & ex his ipsae virgines, pondera maiora attollere, vel fossas magno corporis nisu transilire conatae sunt.



## §. XIII.

Cognita causa immediata five proxima, mediatae exponendae restant, h. e. quae ad producendam illam vel proximius vel remotius concurrunt: ideo medicis mediatae, vel proximiores, vel remotiores, dictae. Procidentiae igitur vteri causas mediatas constituunt omnia ea, quae matrici & eius retinaculis, tum coniunctim, tum seorsim, vel laxitatem vel rupturam inferre, aut has partes ita disponere solent, vt laesiones istas prompte subeant. Cum autem partes corporis nostri solidae, tensiles tamen, nec laxari nec rumpi queant, nisi earum tensio nimia fiat: ideo per se patet, quod etiam omnes causae huc referendae sint, quae tensionem talem efficere valent.

## §. XIV.

Ex causis igitur praeternaturalibus, h. e. morbofis, iam in corpore haerentibus, vel vtero, vel eius retinaculis simul laxitatem inferre solent intemperies humida vulgo dicta, cachexia, hydrops ascites, fluor albus, vteri ulcera, nec non mensium & lochiorum fluxus nimis diu durans, praesertim sanguine seroso acriori existente. Quod cachexiam attinet, in hac peccat copia serii inertis nec satis spirituosii, ideoque idem poris partium ac fibrarum immersum manet, nec vivide movetur, vnde sicut omnium partium solidarum ac mollium fibrae hac ratione robur suum amittunt, vt tensione quadam accedente valdopere laxari queant; ita quoque vteri eiusque retinaculorum. Atque idem dicendum est de hydrope ascite, in quo a copia humorum serosorum ac corruptorum, in abdominis cavitate effusorum, vterus cum suis retinaculis non solum

C

valde

valde laxatur, sed & a pondere illorum deorsum premittur, ac foras vrgetur, vt ideo frequenter in foeminis, hydrope diuturno laborantibus, vteri veram procidentiam obseruare liceat. Similem laxitatem vitiosam intimatis partibus conciliare quoque solet decubitus feri ichorosi in iisdem, in fluore albo & vlceribus matricis praesens: vbi etiam illud ob sui copiam vterum grauiorem reddit. Id quod suo modo etiam de mensium & lochiorum fluxu nimio ac diuturno valet.

## §. XV.

Vnicuique nunc facile aestimatum est, quod si vterus eiusque retinacula laxata fuerint, haec facile deinceps a variis causis ita extendi, immo ad pauciores vel admodum multas quoque fibras rumpi queant, vt hinc vterum in sede sua continere nesciant. Spectant itaque ad causas praeternaturales tendentes & prementes, praeter iam didictam molem aquarum in hydropicis, flatus, tam in abdominalis cauo, quam intestinis contenti, in tympanitide & colica; nisus validus ad excernendum, & maxima facta peritonaei tensio in partu difficili, & post eundem, nimis doloribus perseverantibus, nec non in alui obstructione & difficultate circa egestionem scybalorum; in primis vero variae excrescentiae, vel in vteri cauitate vel vagina radices suas agnoscentes, vterum & eius ligamenta, nec non vaginam valide tendentes ac trahentes, vt ideo iste sensim deorsum sequatur & foras prolabatur. Quo ponderosiores vero tales solent esse excrescentiae, eo facilius vteri vaginaeque lapsum efficere valent. Quibus prementibus ac distendentibus causis accenseri quoque debent admodum magna fecum copia in intestinis, nec non tussis vehemens, sternutatio, vomitus, aliaque. In specie vero calculus vesicae, qui tum stimulo continuo ad reddendam

vrinam

vrinam, tum pondere quoque, si in primis maior, vel plures calculi in eadem haereant, procidentiae vteri cum ipsa vesica, quandoque ansam dare solet, sicut §. 9. id ipsum re vera interdum fieri, obseruationibus a me confirmatum est.

## §. XVI.

Ex causis naturalibus, medicis dictis, mentio facienda est primo loco temperamenti phlegmatici. Etenim cum in hoc particulae seroso-gelatinosae prae reliquis praedominium habeant in massa sanguinea, fibrae etiam partium solidarum, ceu quae illis irrigantur, in huius temperiei subiectis per naturam paulo laxiores esse solent, adeoque, accedentibus causis tendentibus, facile nimis laxantur: id quod etiam ad vterum eiusque retinacula applicari debet. Porro facit huc corporis habitus tenerior a naturalis: quo tenerior enim peritonaei & reliquorum vteri retinaculorum textura, eo facilius hae partes laxari vel plane rumpi possunt; id quod aliquando contingit a graviditate & partu. Si enim, per dicta, retinacula vteri teneriora adsint, hic vero a mole foetus maioris & copia liquoris amnii admodum grauis fit, aliquando illa ita tenduntur & laxantur, vt vteri descensum nimium vel prolapsum impedire nequeant. Quod etiam a nisu & tensione ista, quae tempore partus, vel post eundem adesse solet, euenire interdum potest. Frequenter vero obstetricum imprudentum culpa contingit, si eadem puerperis non praecipiant, vt conatus egerendi foetum quodammodo moderentur, vel illae ipsae vterum, qui hoc tempore ordinarie non nihil descendit, non blande retineant, & facto partu in locum altiorem reponant, sed inconcinne potius attrahant, & circa separationem placentae vterinae, cum vel sine inuersione, e corpore euellant.

C 2

§. XVII.

## §. XVII.

Ex rebus, non naturalibus dictis, prae reliquis producendo nostro affectui fauet incongruus corporis motus, praesertim tempore grauiditatis, & adhuc magis post partum talis factus. Priori enim tempore vterus grauis & ligamenta tensa, posteriori vero ille ipsiusque retinacula a tensione praegressa laxata sunt, & robur pristinum nondum obtinere: ideo facile, tensione quadam fortiori accedente valdopere laxantur vel rumpuntur, vt hinc procidentia vteri eueniat. Itaque huc faciunt quies debita post puerperium neglecta, & motus primis post idem diebus institutus, in specie ascensio scalarum, eleuatio ponderum grauiorum, diuaticatio crurum, saltus, potissimum e loco alto rectis pedibus factus, nec non lapsus e loco tali in abdomen, huiusque laesio. Quemadmodum enim hae motus species, etiam extra grauiditatis & puerperii tempora, in foeminis tenerioris texturae in primis, vteri prolapsum excitare possunt ac solent; ita multo magis his ipsis. Et enim, vt iam supra monui, virgines quoque quandoque ab inconcinnis eiusmodi corporis motionibus vteri procidentiam ex tempore incurrere solent. Atque his motionibus etiam equitatio succussoria accenseri potest, ceu qua foeminae quaedam, & ex his saepe illustres, delectari solent. Aer frigidus, diu ad partes genitales & infimum ventrem admissus, tandem elaterem retinaculorum vteri non nihil debilitando huc facit; sicut etiam frigidus & humidus diuturnus eatenus ad nostri affectus generationem concurrere solet, quatenus excretionem humidi superflui per transpirationem impedit, sicque ad intemperiem frigidam & humidam disponit. Id quod etiam valet de cibis lentis atque viscosis, quales sunt maxime pisces marini & plerique alii; nec non de potu copio-

copio-

copiosiori, aquoso magis. Cui incongruae diaetae si accedant somnus nimius, & neglectus sufficientis, moderati tamen, corporis motus, eo magis excretio humidi serosi superflui aliorumque noxiorum humorum e corpore impeditur, sicque cachexiae, & passioni hystericae, malo hypochondriaco aliisque affectibus, qui ad vteri procidentiae generationem quandoque conferre possunt ac solent, fundamenta ponuntur. Non minus excernenda e corpore nostro, debito vero tempore & ratione conuenienti non excreta, ut sanguis menstruus, excrementa aluina, materia transpirationis insensibilis ac vrinae ipsius, in subiectis ad procidentiam vteri dispositis, dispositionem praesentem augere & in actum deducere possunt, varios affectus p. n. inferendo, praesertim iam recensitos, nec non fluorem album, vteri scirrhum, atque sarcomata; nempe pro diuersitate aliarum causarum concurrentium, modo hos, modo istos. Quisque vero videt, quod res non naturales iam recensitae remote tantum ad procidentiae vteri generationem concurrant, si motum corporis violentum ac inconcinnum exceperis. Potest vero & hoc loco commode mentio fieri nimii vsus vnguentorum & balneorum emollientium, vltimo ante partum mense adhibitorum, pro eodem facilitando. Etenim haec aliquando nimiam laxitatem inferunt vtero eiusque vaginae ac ligamentis, & ita vteri procidentiae occasionem praebent.

## §. XVIII.

Antequam prolapsus vteri curam tradamus, non inutile iudicamus chirurgos atque obstetrices serio mone-  
re, vt diagnosin huius affectus magna cum circumspectione instituant, ne vterum vere prolapsum pro alius speciei tumore habeant, eumque magis magisque ad se attrahant, & sic malum grauius reddant, aut perscrutandi

causa, qualis sit tumor, vterum, praesertim inuersum, vario modo afficiant & plane vulnerent; sicut medicafter quidam fecit in foemina quadam Bataua, cuius matricem prolapsam & inuersam non pro tali habuit, & sic lethalem hanc procidentiam reddidit, teste saepius laudato RVYSCHIO *Obs.* 26. Neque etiam vterus inuersus ac prolapsus pro mola, vel partu foetus monstrosi haberi debet, sicut quoque interdum faciunt obstetrices & chirurgi imperiti.

## §. XIX.

Expositis breuiter iis, quae ad procidentiae vteri theoriam faciunt, eiusdem genuina cura nunc proponenda est, quae, si locum inueniat, nec palliativa solum, aut plane heteroclita opus sit, duabus his indicationibus generalibus ac fundamentalibus nititur: I) *Vterus e sede sua naturali prolapsus in eandem lege artis est reponendus.* II) *Repositus ibidem omni modo detinendus ac firmandus est.*

## §. XX.

Nemo, vt spero, de veritate dictarum indicationum dubitabit, quia partes praeternaturales corporis nostri medicina ad statum naturalem sunt reducendae. Nunc autem vterus prolapsus situm praeternaturalem habet; ergo ad naturalem reducendus & in eodem detinendus, quantum possibile & vtile est, hoc est, quando non maiora mala post vterum repositum certo expectanda sunt. Nam si iuxta monitum Ruyschianum, quod supra §. II. inserui, vterus a longo tempore prolapsus tantus sit factus, vt non nisi admodum difficulter in pristinum locum redigi queat; aut idem scirrhus, vlcere, cancro aut sphacelo affectus sit, vel etiam patiens vterum a longo tempore extra corpus gesserit, non suscipienda est repositio: quia post eandem  
pes-

pesime sese habere solent aegrae. Quid enim leuaminis ab vtero, maxima labe affecto & reposito, miserae aegrae expectare possunt? Nonne ipsis timendum potius est, ne ab illo sibi proxima viscera simili labe afficiantur? Ea propter tam chirurgi, quam obstetrices, mulieresque clinicae, antequam vteri prolapsi repositionem suscipiant, eiusdem constitutionem accurate inuestigare, & si idem iam ad notabilius tempus extra corpus haeserit, medicos consulere debent: an matricem prolapsam reponere debeant, nec ne? Moneo tamen circa hoc Ruyschii consilium, quod repositio vteri prolapsi, si idem qualitates suas naturales adhuc fere obtineat, suscipienda sit, ac tentari debeat, licet iam ad longius paulo tempus extra corpus propperit. Nam iuxta obseruationes Dn. D. Praefidis aliquando foeminae, ope retinaculorum artificialium, talem vterum repositum satis commode intus gerunt. Sin vero maior molestia, eaque constans repositionem sequatur, retinacula artificialia applicata remouere, ipsique vtero exitum concedere decet.

## §. XXI.

Contra vero vteri prolapsi repositio summe necessaria ac salutaris est, si procidentia recens fuerit: tunc enim non differenda, sed, quam primum fieri potest, suscipienda est. Nullibi tamen tempestiua repositione magis est opus, quam si vterus in partu fuerit inuersus. Si enim hoc fiat circa separationem placentae vterinae, aut alias, tunc ab obstetrice praesente, vel alia huius negotii gnara persona, fundus vteri per orificium suum, tunc valde hians, sine vlla mora sursum manu blandissime adigendus & reponendus est, absque omni praeuia vteri ad reponendum praeparatione; puerpera decumbente corpore supino, natibus elevatis & cruribus diuaricatis. Re-  
posi-

positio enim, nisi admodum tempestive fiat, non adeo longo temporis spatio elapso, admodum difficilis, imo interdum plane impossibilis fit, sicque mortem post se trahit. Nam orificium vteri se brevi iterum claudit, molemque suae substantiae prolapsam comprimit; vnde circulatione sanguinis in hac parte valde imminuta & tandem penitus sufflaminata, inflammatio, dolor, febris, gangraena ac sphacelus facile succedunt. Sin vero uterus prolapsus ac inuersus, iam diutius paulo propenderit, ac nonnihil induruerit: tunc utique eidem, nec non pudendis pubisque regioni fofus, vel e solo lacte tepido, vel cum rad. alth. lil. alb. fl. chamom. melilot. sambuc. ac hyperic. decocto paratus, tepide applicandus, & postea inuersio ac repositio prouide tentanda ac suscipienda est. Ne autem vel intestinum rectum, fecibus forsan repletum, & vesica vrina turbida repositionem ob spatium, quod uterus occupare debet, angustius ita existens, difficilem reddant, misera puerpera admonenda est, vt aluum, sine omni tamen valido conatu, deponat & vesicam exoneret: quod posterius dum fit, uterus inuersus molli linteo duplicato, tepido lacte, vel laudato decocto ebrio, tegendus ac contra vrinam profluentem defendendus est.

## §. XXII.

Atque eadem fere ratione agendum est chirurgis, obstetricibus, aliisque personis, quae vterum sine inuersione recenter in partu prolapsum reponere sustinent. Si enim eadem, dum procidentia fit & recentissima est, praesentes sint, mox repositionem, omnibus dextrae digitis in longum coarctatis, sine omni violentia, per vaginam tunc laxam, quantum possibile, in altum reponere, postea vero studere debent, vt in isto loco permaneat: id quod, qua ratione fieri debeat, in sequentibus docebitur.



tur. Potest tamen & ipsa puerpera quandoque sibimet ipsi hoc officium praestare, & manu vterum prolapsum reponere. Sic enim ipsa pressionem optime moderari poterit, ne fiat nimia aut dolorifica.

## §. XXIII.

Quo vero ratio vterum prolapsum etiam extra hos casus rite reponendi constet, indicare aequum est, quae circa hoc negotium tum foeminis aegrotis, tum ipsis auxilium praestituras, sint obseruanda. Praesupposito nempe, quod post vterum repositum non maiora mala sint timenda, aegrotata mulier ante suscipiendam repositionem urinam mittere, & aluum euacuare debet, ne vesica & intestinum repletum, excrementis repleta, vaginam vteri arctiorem & repositionem difficiliorem reddant. Has vero excretiones si aegrotata sibi relicta praestare nequeat, & nihilominus e signis constet, magnam excrementorum molem in his receptaculis haerere, eadem clystere & applicatione catheteris prouocare decet. Postea tum vterus prolapsus, tum pudenda & vteri vagina, immo & ipsa pubis regio fotibus, ex emollientibus & discutientibus concinnatis, tractari debent: quo fibrae harum partium quodammodo induratae emolliantur, & ita repositio eo facilius fieri queat. Atque huic scopo optime inseruiunt species §. 21. commendatae, quae sacculis inclusae & vel in lacte, vel cereuisia vna cum butyro, modice decoctae tepide imponendae sunt. His si commodum visum fuerit, facile rad. symphyti, hb. agrimon. & fl. ros. rubr. addi possunt. Sin vero intertrigo quaedam in vtero obseruabilis sit, haec prius impositione sacculorum talium, sed in cereuisia secundaria decoctorum, ante repositionem abigenda est: id quod etiam valet de inflammatione vel tumore resolubili: quibus tamen in casibus sacculi pro fotibus cum lacte leniter decocti commode adhiberi possunt. Non solum igitur vtero, sed & viis pro facili repositione

D

rite

rite dispositis aegra decentem ad repositionem situm habere, hoc est, corpore supino, capite nonnihil decliuiori, natibus eleuatis & cruribus aliquo modo diuaticatis, iacere debet, quo spatium adsit sufficiens, & vterus hac ratione facilius in locum pristinum cedat. Quo facto vel ipsae aegrae, vel supra nominatae personae, quae etiam illis diducendo pudendorum labia, opitulari possunt, vterum blande manu in longum complicata & tepido florum hyperici oleo inuncta, sursum per vaginam adigant, ac in locum pristinum reponant, vitando omnem violentiam, ne vel matrici, vel vaginae aut pudendis inflammatio & tumor inferantur. Si vero aliquando manus repositioni vteri in locum satis altum sufficere nolint, cereo paulo crassiori, duplici ac molli obuoluto linteo & oleo hyperici vel lil. alb. madido, eadem suscipienda ac tentanda est, sed citra omnem fortiorem pressionem.

## §. XXIV.

Primae indicationi, per conuenientem vteri in locum pristinum repositionem, satisfactione praestita, eo cogitandum est, vt & secundae satisfiat, h. e. vt vterus repositus in sede, quam denuo occupauit, detineatur & firmetur. Scopus huius indicationis obtinetur, quando fibrae vteri eiusque retinaculorum vel laxatae, vel ruptae, ita iterum roborari, vel consolidari possunt, vt hic de nouo prolabi nequeat. Ad quem finem, quantum possibile, obtinendum conferunt 1) diaeta legitime instituta; 2) medicamenta conuenientia, tam externa, quam interna; 3) instrumenta quaedam chirurgica.

## §. XXV.

Quod diaetam attinet, ex hac ante omnia debent commendari quies diuturna & decubitus conueniens talis. Nam corpore quieto respiratio ordinarie lenior est: ideo diaphragma non tam valde contrahitur in inspiratione, nec viscera versus inferiora abdominis fortiter premuntur.

&amp;

& peritoneum sic minus tenditur. Dumque quiescente corpore vterus & retinacula eius vix mouentur, fibrae pristinum robur acquirere possunt; imo plane quandoque iterum concrefcere solent; id quod in foeminis iunioribus & in statu incrementi constitutis facilius succedit, quam in iis, quae aetatis sunt prouectioris. Decubitus quod concernit, hic debet esse corpore supino, cruribusque paululum eleuatis & contractis, ne vterus facile deorsum vergat, & fibrae distrahantur. Atque in tali decubitu, per longinquum satis tempus continuato, maximum felicitis curae positum est momentum. Ex alimentis vitari debent, quae facile flatus pariunt, aluum obstruunt & intemperiem humidam generare possunt: cum vero talia medicis satis sint nota: ideo ab eorum recensione abstinemus. Aer circa aegrotas nostras sit moderate calidus, sedulo vitato frigidiori, ob rationes, quas supra §. 17. attulimus. Vehementiora animi pathemata, irregularem motum in spiritibus concitando, quietem fibrarum, ad felicem affectus nostri curam tam necessariam, facile turbant. Praeterea omnia aegrotis nostris in diaeta sunt vitanda, quae ad generationem procidentiae vteri proximius vel remotius quidpiam conferre possunt, & supra sub causis non naturalibus fuere notata.

## §. XXVI.

Medicamenta procidentiae vteri profutura ita debent esse comparata, sicut iam monitum, vt roborent fibras vteri, peritonei & reliquorum retinaculorum laxatas, & quantum possibile, ruptarum consolidationem iuuent siue ea sint externa, siue interna. Praestant vero hoc immediate magis moderate adstringentia, roborantia ac neruina, mediate vero nimiam humiditatem, vel circa has partes, vel in toto corpore praesentem imminuentia, & nimiae tensionis causas corrigentia ac auferentia. Sic ex externis medicaminibus pro hoc scopo conueniunt fofus ex rad. symphyt. bistort. tormentill.

Zedoar. leuistic. hb. rorismar. menth. Saracen. centinod. alchimill. agrimon. fl. rosar. rubr. sambuc. hyperic. balauft. sem. carvi, bacc. lauri, mastiche, myrrha in forma sacculorum, qui vel ficci & calidi, vel potius in vino, aut etiam cereuisia secundaria p. r. n. decocti & hinc expressi, tales regioni pubis & hypogastricae, nec non inguinibus imponendi sunt. Salutariter etiam lintheamina mollia contorta, decocto harum specierum tepido imbuta, in vaginam vteri blande intrudi possunt. Ex emplastris commendari merentur, tanquam huic fini apta, emplastr. ad prolapsum vteri Londinense, contra rupturam Augustan. de galbano, de tacamahaca, applicando eadem vel regioni hypogastricae, vel inguinibus, vel etiam p. r. n. basi lumborum. Egregiam quoque vim roborandi & ficcandi habent suffitus parati ex oliban. gumm. iuniperi, mastich. succin. & fl. hyperic. qui versus vteri vaginam, ope vel commodae fellæ, vel infundibuli, praelongo canali instructi, dirigendi, & sedulo adhibendi sunt. Sic praetermo WEDELIO suffitus vaporosus ex oleo rutaceo, lateribus candentibus affuso.

## §. XXVII.

Ex pharmacis internis in cura affectus nostri in primis salutaria iudicantur blanda diaphoretica, balsamica, vterina, carminatiua & traumatica, cum ipsis anodynis dosi refracta mixta. Atque haec talia in primis locum habent, si proci-dentia vteri post partum contigerit. Sic huc faciunt Tinctura bez. Wedel. vel ess. balsamica Slenogtii, quarum alterutra, siue ambae cum ess. lignorum, castorii, traumatica vel fl. hyperici & anod. optime remiscuntur. Non minus laudari merentur ess. carminat. Wedel. Zedoar. succini concentrata, carminat. de tribus, aliaque diuersimode, pro indicationum ratione, cum aliis miscenda. Ex ficcis huc spectant ꝑ ꝑle cachect. vnicornu fossile, C. C. vstum, philosoph. ppt. coral-lia rubra, ꝑ ꝑ, ꝑae Lemnia & sigillatae, succinum album ppt.

ppt.

ppt. quibus facile iungenda sunt castorium ppt. & extr. anodyn. Etenim cuncta haec intemperiem humidam corrigendi vim habent, adeoque diutius continuata vsus sunt eximii.

## §. XXVIII.

Quoniam vero ex iis, quae de causis procidentiae vteri supra differuimus, satis constat, quod eadem a variis affectibus praeternaturalibus, v. g. nimio mensium fluxu, fluore albo, colica, tum hysterica, tum alia, malo hypochondriaco aliisque quandoque producat & foueatur: ideo monemus, quod, pro obtinenda felici nostri affectus cura, morbi dicti, seu eiusdem causae, conuenienti methodo, curari debeant. Sic nimio mensium fluxui a massae sanguineae statu serosocreriori dependenti debentur absorbentia & diaphoretica blanda, cum interpolatis benignis purgantibus: sin vero sanguinis copia in culpa sit, V. S. in brachio p. r. n. administrari debet. Fluori albo conueniunt absorbentia, diaphoretica, balsamica & lymphae correctoria, ac in primis puluis & eff. fuccin. lignorum, balsami de Copayba, balsam. Sleuogt. fl. hyperic. myrrh. castor. traumat. anod. nec non purgantia mitiora interpolata, aliaque. Iis quae, occasione alui obstructionis, flatus & tormina experiuntur, exhibenda lenientia, siue aluum subducentia, vt pilulae aloetico - Feae Wedel. Stahlianæ, polychrestae Hoffmanni &c. hinc temperatiora carminatiua & neruina. Ast, quia tempus non permittit, omnium atque singulorum horum affectuum curam, ne generatim quidem, hoc loco exponere; ideo eadem e scriptis medicorum practicoꝝ huc reuocanda erit: cum non sit proprie huius loci.

## §. XXIX.

Haecenus propositis praesidiis satis mature adhibitis, & ad longius paulo tempus continuatis, si opus fuerit, aliquando vteri procidentia perfecte tollitur, quatenus fibrae pristinum robur receperit. Verum enim vero admodum saepe fieri solet, vt foeminae malum hoc negligent, nec tempestiuum

medici prudentis expetant consilium, vel etiam laxitas aut ruptura retinaculorum tanta sit, ut sufficienter emendari nequeat: Quapropter in eiusmodi subiectis saltem cura palliativa locum habet: h. e. post repositum uterum artificialia quaedam retinacula, siue instrumenta, vaginae uteri sunt intrudenda, quae matricis procidentiam impediunt, & hoc efficiant, ut foeminae labem suam absque magna molestia ad multorum annorum seriem perferre & munia sua domestica pleraque obire queant. Sic huc faciunt 1) Instrumenta ex linteis & filis lineis conuolutis confecta; figuram panis biscocti per medium dissecti habentia, atque cera alba largiter obducta & polita. Quandoque vero talia instrumenta a foeminis, plebeiis praesertim, eadem ratione confecta, globulos perfectos exhibent. 2) Annuli, siue circuli lignei, pro diuersitate subiectorum & capacitatis vaginae uteri, diuersae amplitudinis siue circumferentiae, itidem cera alba, eaque laevi, obducti. 3) Pyra lignea excauata, non minus cera alba polita incrustata. 4) Circulus ferreus, abdomen ambiens & panno gossipino obductus, (instar subligaculi in herniis) in quo globus cereus firmatus est, qui uteri vaginae blande est intrudendus. Circa genuinum vero horum instrumentorum usum quaedam praecipienda videntur, nempe, quod, a) si opus sit, eorum applicationi fons e lacte tepidus, partibus genitalibus impositus, sit praemittendus: b) haec retinacula, ante usum, oleo quodam lubricante tepido sint inungenda, & sine magna violentia vaginae immittenda, ad ipsius finem usque: c) foeminae, maritis opus coniugale praestiturae, exceptis aliquando circulis ligneis, ista debeant eximere: d) his instrumentis, praeter istud, quod simul circulo ferreo constat, filum crassum atque firmum, cera obductum, debeat esse alligatum, ut ope huius, pro rei necessitate, commode possint extrahi: e) ea quandoque etiam e vagina sint eximenda, atque a sordibus repurganda, ne, veste crustosa obducta, maxima & inaequalia fiant, & hinc subinde vaginam dilacerent aliquando: f) Ex his instru-

instru-

instrumentis praerogatiuam habere videantur annuli lignei: cum non solum leuiiores sint caeteris retinaculis, sed & vrinae ac mensibus liberum concedant exitum: g) instrumenta haec exacte ad amplitudinem vaginae quadrare & eandem arcte contingere debeant, vt vterum in sede sua firmiter detinere queant: h) foeminae eiusmodi retinacula secum gerentes vrinam cruribus nonnihil diuarcatis emittere & quandoque circa egestionem scybalorum attollere teneantur. Quatuor supra descriptis retinaculorum vterinorum speciebus accenseri quoque potest & debet peculiare instrumentum, quod figuram coni detruncati habet, & ex meris circulis ferreis mediocriter crassis in talem figuram coaptatis constructum est, quod virtute veluti elastica gaudeat, vt fortius in sese compressum prompte contrahatur, pressione vero remittente in pristinam figuram suam resiliat, prout tale descripsit Excell. D. GOELICKIUS in *Dissert. de artificio nouo restituendi procidentiam vteri veram*, simulq; ipsius figuram in aere incisam exhibuit. Haec vero praerogatiua de descripto instrumento perhibetur, quod idem ad motum & concussionem abdominis, vt in tussi, sicut reliqua pleraque huiusmodi retinacula aliquando facere solent, minus soleat excuti.

## §. XXX.

Haec sunt praesidia e triplici medicinae fonte, diaetetico, pharmaceutico & chirurgico desumpta, quibus procidentiae vteri, vel aliquando in totum mederi, vel eandem saltem palliare licet. Quando vero vterus vel propter duritiem & magnitudinem reponi non potest, aut aegrae post ipsius repositionem constanter peius se habent, quam antea, sibi relinquendus est vterus prolapsus, & idem saltem aqua tepida quandoque, vel decocto cum cereuisia secundaria parato ex hb. betonic. plantag. millefol. menth. Saracen. fl. sambuc. hyperic. & chamomill. abluendus est: quod decoctum etiam in ipsius intertrigine eximium, praesertim, si rad. symphyt. ebuli & alth. addantur; nec non in exulceratione ipsius tam externa, quam interna, remixtum cum melle rosato. Sicut etiam, hoc in casu, aqua calcis viuae melli rosato iuncta & tepide applicata salutaris est, nec non balsamum de copaiba per se applicatum. Si vero  
vterus

vterus propendens ulcere cancroso, summe dolorifico ac putrido, vel sphacelo affectus sit, & ideo seruari nequeat, sed potius partibus annexis similis corruptio immincat: tunc iste audacter amputatione auferendus est, facta prius aliqua ipsius vinculo constrictione in loco superiori, labiis pudendorum vicino; haemorrhagia vero, quae his in casibus saepe non tanta, quanta metuitur, pulueribus ischaemis ac balsamicis, vel etiam liquore styptico Dippelii cohibenda est. Vulpus vero deinceps tractandum bono balsamo traumatico, vel natiuo simplicissimo, optimo vero, laudato nempe de copaiba, cui p. r. n. unguentum fuscum Wurzii admisceri potest, si status quodammodo ulcerosus & impurus fuerit relictus. Eadem ratione quoque excrescentias varias, extra pudenda propendentes, & vel in vteri, vel vaginae cauo, radicatae prouide abscindendas, post ablationem vero earum, iniectiones traumaticas & balsamicas adhibendas esse censemus. Reliqua in eiusmodi casibus agenda dictabit omnium circumstantiarum attendita consideratio. Atque haec cura, quando pars quaedam, corporis, morbo grauissimo affecta, in conseruationem vitae plenarie aufertur, a quibusdam Autoribus dicitur eleganter heteroclitia.

## §. XXXI.

Finem scriptionis nostrae de vteri procidentia imponere equidem possemus, nisi doctrinae de retinaculis vteri naturalibus & eiusdem connexionem, de qua supra egimus, quaedam adiciere necessarium iudicemus, ne scriptionem hanc lectoris dubia circa eandem oboriri queant. Satis autem superque constat, quod ceruix vteri circa extremum suum, orificium internum dictum, arcte cum vagina cohaereat: Quapropter etiam hanc, in statu naturali constitutam, vteri retinaculis accensendam, eiusque laxationem inter causas procidentiae vteri, potissimum non inuersi, simul referendam esse perhibemus. Etenim matrix nunquam sibi relicta multum demitti, vel plane extra pudendorum labia prolabi posset, nisi simul fieret notabilis extensio & laxatio ipsius vaginae in loco superiori; id quod cuius euidetissimum erit, qui connexionem ceruicis & orificii vteri cum parte superna vaginae exacte considerabit & pensitabit. Patet vero ex attenda huius phaenomeni pensitatione simul, quam mirifice vaginae vteri tunica interna laxari & extendi queat.

F I N I S.

OS (O) 30

Chim 269/4